

Jahresbericht

über das

Königl. Gymnasium zu Rastenburg

für das Schuljahr von Michaelis **1840** bis dahin **1841**

womit zur

öffentlichen Prüfung der Schüler

am 30. September und 1. October

und zur

feierlichen Entlassung der Abiturienten

am 1. October Nachmittags 4 Uhr

die Eltern und Pfleger der Schüler und die Freunde des Schulwesens

einladet

Johann Wilhelm Gottlob Heinicke,

Director.

Inhalt: Anthropologica Thucydidis maximam partem psychologica. Dissert II. — Schulnachrichten; beides vom Director.



Rastenburg 1841.

Gedruckt bei August Haberland.

Anthropologica
Thucydidis
maximam partem
Psychologica

explicare perrexit

Joann. Guil. Aenoth. Heinicke.



Rastenburgi (Acropaulae) CIƆIƆCCCXLI.

Literarum formis excudit Haberland.

ΘΟΥΚΙΔΙΔΗΣ ΑΝΘΡΩΠΩΝ ΓΡΑΦΕΥΣ.

Οὐκ ἔστιν οὐδὲν τῶν παθῶν, τῷ ἀθλίων
Ἀνδρῶν νόῳ τάραξιν ἐνθέντων βίᾳ,
Οὗ μὴ σοφῶς μνήμην ποιήσαιτ' εὐκλεὴς
Ὁ ξυγγραφεύς, ἀνθρωπίνην φύσιν γράφων.

Mens hominum fallax.

Praecipites venantur iniqua mente salutem
Errantes homines; nulla parata salus:
Spes fovet incautos, animum timor anxius urguet,
Obruit afflictos fors violenta malis.

Humanitatis doctrinam, in Thucydidis libris passim repertam et collectam, in priore dissertatione, ut singulas res, ad capita quaedam revocatas, acrius perspectas haberemus, sic instituimus, ut primum naturam humanam illustraremus, quae in appetitu posita est. Cujus naturae affectione exposita ejus vim, quae et qualis in vitae actione cerneretur, magnam partem explicuimus. Verum tamen quae praeterea huc pertineut, ut priorem disputationis partem absolveremus, ea nunc addidimus, eandem in argumento tractando rationem sequuti, quam in priore dissertatione (p. 6.) descripsimus.

(I. Hominis natura in appetitu posita sensibusque obnoxia.)

2. Hujus naturae indoles in vitae actione (in civitate) conspicua.

11. Vario modo homines spe vana ducuntur. — Etenim incredibilis est eorum ratio, qui in rebus futuris spem magis repositam habent, quam in iis, quae

ante oculos positae cernuntur, et qui res absconditas, quod iis respondent, quae cupiunt, ut praesentes jam vereque factas res spectant. [1] — Incertis in rebus caecâ exspectatione ii potissimum pendent, qui, praesenti rerum copia impudenter neglecta, spei confidunt, ex qua auxilia, non nisi consiliis vere exploranda, repetunt. [2] Plurimi in iis, quae moliuntur, caeca magis voluntate res dijudicant quam certa mentis cautione et circumspicientia. Namque homines in eo, quod appetunt, inconsultae se spei committere consueverunt; sed quod non efflagitant, id omni rationis arbitrio rejiciunt. [3] — Multi ad incolumitatem tuendam augendamque sola spe freti robur ac firmamentum in rebus futuris iisdemque cunctantibus quaerunt, praesentes vero opes tenuiores, quibus majores opes oppositae impugnant, ad periculum, quod jam instat, propulsandum parum esse idoneas non intelligunt, ut in rebus praesentibus a consiliis, sana ratione capiendis, futurarum rerum spe nisi plane abhorreant. Cujus generis homines malum istum pudorem alunt, quo moti pericula adeunt manifesta et ignominiosa quippe temere suscepta. His quidem accidit, ut, quamvis prospiciant, qualia sint pericula, in quae feruntur, iste qui vulgo vocatur pudor nominis sui vi corruptrice eorum animos ita conciliet, ut turpitudinis vocabulo victi reapse in calamitatem resque perditas sua sponte incurrant majoremque turpitudinem ex inconsulta temeritate quam ex calamitoso rerum exitu sibi contrahant. [4] — Ad spem erecti homines pericula adeunt, nec ullus in dimicationem adductus saluti suae desperat, fore ut prospere res cedant, nihilque detrimenti capiens feliciter aufugiat. [5] — Spes homines in pericula adductos erigere animosque confirmare potest. Ea si homines nituntur opum ubertate freti saepius quidem laeduntur, neque tamen pereunt. Verum spes natura sumptuosa res est, ac quibus omnia bona in aleam data sunt, iis penitus cognita est, ubi in calamitatem incidunt, neque tamen destituit, quamdiu quisquam ab ea cognita cavere poterit, ut in summo demum discrimine, omni remedio dempto, spei res suas committat. [6] — Nulla est orationis vis in iis, qui avaritia et falsa spe ducuntur, qui monendi sunt, ut quas teneant res servent, neque rebus praesentibus

---

1) V. 113. (Athenienses cor. Meliis.)
2) II. 62, 5. (Pericles cor. Atheniens.)
3) IV. 108, 4. *εἰωθότες οἱ ἄνθρωποι, οὗ μὲν ἐπιθυμοῦσιν, ἐλπίδι ἀπερισκέπτῳ διδόναι, κ. τ. λ.*.
4) V. rrr, 2. 3. (Athenienses cor. Meliis.)
5) III. 45, 1. (Diodotus coram Atheniens. de Mitylenaeis liberandis.)
6) V. 103, 1. (Athenienses cor. Meliis.) *ἐλπὶς, κινδύνῳ παραμύθιον, δάπανος φύσει.*

et bene paratis propter incertas res et futuras periclitentur. 7] — Si quis audacia per media discrimina perrumpit, suam se virtutem habere confirmatam putat; cui quum accedit opinio, se esse validissimum, quod validissimos vicerit, duplex ei spes est. Plerumque vero maxima spes maximum animi fervorem ad res suscipiendas creat. 8] — Qui nimia malorum vi oppressi in rerumque angustias adducti sunt, eorum animos desperatio occupat, ut non solum non praesentibus opibus sed fortunae temeritate potius confisi aut viam vi sibi faciundi aut a discrimine in tutum locum se recipiendi periculum faciant, utpote qui res esse pejore loco censeant, quam revera sint 9] — Qui commodorum spe nituntur, ut quae agant utilitatibus metiantur, non est, quod in rebus periculosis, (quales in bellis sunt,) ad agendum cogantur, ipsa discriminum imperitia moti; nec timore isti homines a periculis deterrentur. Accidit enim, ut his quidem pericula lucro superari videantur, illi vero in dimicationem se abjicere quam commoda praetermittere ac de loco suo cedere malint. 10] — Si quis res suas opinatur in tuto fore collocatas aut salutem juris nactus aut vi manuque confisus, is caveat, ne praeter exspectationem turpiter in offensionem incurrat. Non enim consideravit, multos fuisse, qui ab iis, a quibus injurias passi essent, poenas repeterent, alios etiam fuisse, qui potentia res suas auctum iri sperarent; sed illis accidit, ut non solum injurias non persequerentur, sed ne salutis quidem viam, qua pateret, reperirent, hi vero tantum abfuit ut augerentur, ut suas etiam res deperderent. Cujus generis homines injurias ulciscendo res prospere se gessuros aequo jure opinantur, quia injuriae ipsis illatae sint, et potentiam tutam esse ac vacuam a periculo, quia bonae spei plena sit. 11]

12. Spei proxima est credulitas. — Facile homines ad credendum propensi sunt; namque quas antiquitus res gestas famaque traditas audiunt, quamvis sint domesticae, non examinare, sed temere ab aliis recipere solent. 12] — Sic plurimi plane non laborant de veri perscrutatione et multo magis ad ea, quae prompta sunt, se convertunt. 13]

13. In dissimili ratione hominum ingenium a credulitate proclive est ad suspicionem. — In dubiis enim rebus et perturbatis nihil peragi solet, sed, quod

7) VI. 9, 3. (Nicias coram Atheniensibus.)
8) VII. 67, 1. (Gylippus Syracusanorum dux, cor. militibus.)
9) VII 67. 4. (idem.)
10) IV. 59, 2. (Hermocrates cor. Siculis de pace componenda.)
11) IV. 62, 3. (idem.)
12) I 20, 1. cf. VI. 34, 7. et infra exposita 21.)
13) I 20, 3.

alitet fieri nequit in hominibus, qui in angustias adducti sunt, hi ultro citroque disputant. Namque in suspicionem etiam ob praesentia mala invicem vocantur. [14]

14. Uti hominum animus a vana spe occupatur, sic ex contrario inani timore afficitur *) — Sunt homines, qui sibi privatim de suisque rebus metuunt; hi simul civitati metum injiciunt omnesque pavore percellunt, ut publico timore suum obumbrent et occultent. [15] — Accidit multis hominibus, ut, quod cursus rerum humanarum imperitissimi sunt, animis cadant; [16] nam si, quae primum gesserunt, secus ea cadunt ac speraverunt, perpetuo exspectatione a metu commota pendent, ut quas calamitates antea passi sunt, easdem futuras esse opinentur. [17] — Metus insolitus est, quo homines contra se invicem pugnantes rerum dubiarum eventum exspectant. Nam qui mox rem vincentem passim mox inclinatam adspiciunt, oculis non in uno loco defixis, hi suam rem victricem animadvertentes laeti eriguntur atque divinum numen, ne salute affulgente priventur, implorant et obtestantur; illi, qui superatos suos vident, lamentantur ac vociferatione utuntur ita, ut multo magis rerum gestarum adspectu quam qui rem ipsi gerunt, animis cadant [18] Uti in animi affectione magna metus vis est; [19] ita ad corporis conditionem mutandum habitumque timor multum valet. Quin etiam Athenienses duce Nicia cum Syracusanis in pugna navali confligentes in summoque rerum discrimine versati, ut nihil neque salutis neque calamitatis momentum cerni posset, ita pavore metuque perculsi erant, ut corpore ipso nutante animorum affectionem imitarentur pavorem gestu fatentes [20] — Homines non libero esse judicio solent, ut animus, parum sibi constans, non suo arbitrio utatur. Sed e rumore, qui ad eos perfertur, facile opiniones mente comprehendunt. Ex quo fit, ut magis eos timeant, qui occupant aggredi, vel prius oppugnatori ostendunt se ad vim propulsandam esse paratos, quippe qui periculo sustinendo pares sese putent. [21] — Sic timor homines conciliat. — Singuli homines invicem sibi infesti ac mutua invidia com-

14) VI. 103, 4 (Syracusanorum exemplo illustratur)
15) VI. 36, 2 (Athenagoras coram Syracusanis in responsione rem veram ad res alio modo compositas refert.)
16) cf. IV. 55, 3. 4. (prior. dissert. p. 17.***)
17) VII. 61, 2. (Nicias, Atheniensium dux, coram militibus.)
18) VII. 71, 2. 3. (Quod exemplo Atheniensium et Syracusanorum mari pugnantium illustratur.)
19) (cf. II. 87. 4.)
20) VII. 71, 3.
21) VI. 34, 7 (Hermocrates cor Syracusanis.) *τῶν ἀνθρώπων πρὸς τα λεγόμενα καὶ αἱ γνῶμαι ἵστανται.*
*) cf. II, 87, 4. in priore dissertat. p. 11.

moti et districti, ubi major hostis utrique obsistit, terrore illato propter commune periculum ad communes in propulsando hoste conatus concitantur.[22] — Non incognitum est, eos, quibus prae timore res in suspicionem veniunt, illico orationis blandimentis delectari, postea vero, quum inchoato opere res agitur, facere, quae utilitati sunt.[23]

15. In rebus civilibus, quae perturbatione ad deteriorem statum abeunt, ut violentiae locus sit et factioni, timor et suspicio, quibus diffidentia adjuncta est, in hominum animos dominantur. (Cujus rei testis est Atheniensium civitas belli Peloponnesiaci anno XXI, quo quinque hominum millia ad rem publicam administrandam accesserunt.) Ad suffragia quidem ferenda populus et senatus convocati sunt, nihil tamen consultatione constitutum est, quod ab isto paucorum principatu abhorreret. Nec civium ullus contra dicere ausus est, quia magnum eorum, qui conspiratione juncti erant, numerum metuebant et cernebant. Quod si quis obstetisset atque contra eos dixisset, protinus ratione quadam idonea interimebatur. Populus vero quiescebat atque tantus ei terror incussus erat, ut, si cui non vis inferretur, is, etiamsi taceret, in lucro id poneret. Jam timor ita eos invasit, ut conjuratorum numerum esse majorem, quam qui fuit, putarent atque animis succumberent. Hanc ob causam non licitum erat cuiquam, qua indignatione exarsit, effundere ac lamentari, ut oppugnatorem ulcisceretur. Nam aut ignotum reperisset, quocum deploraturus fuisset, aut notum, sed perfidiosum hominem. Singuli autem ad singulos ita accesserunt, ut suspectos sese invicem haberent, perinde ac si singuli facinorum affines essent. Etenim multi, quos nullos unquam opinatus fuisset paucorum potentiae fauturos esse, hanc societatem coiverant, atque his quam plurimum mali causa erat attribuenda, cur multitudini diffiderent. Sic plurimum paucos istos, ut in tuto collocarentur, dominatores adjuverunt, quorum securitatem mutua diffidentia confirmarunt.[24]

16. Homines solo appetitu ducti non aequam sui aestimationem faciunt, sed nimium viribus suis tribuunt. — Naturae humanae proprium est verborum jactatione res suas opesque augere.[25] —

17. In appetitu nimius sui amor inest; itaque homines, qui virtutem amplecti solent, appetitu moti ab officio, quod aliis debitum sequi debent, facile

---

22) VI. 34, 1. (Hermocrates hanc sententiam coram Syracusanis oratione exponit.)
23) VI. 83, 3. (Euphemius, Atheniens. legatus, cor. Camarinaeis.)
24) VIII. 66.
25) V. 68, 2. τὸ ἀνθρώπειον κομπῶδες ἐς τὰ οἰκεῖα πλήθη. (quod Lacedaemoniorum exemplo in numero militum post proelium renuntiato illustratur.)

recedunt honestatemque deserunt. — Homines enim adversus semetipsos et in rebus suis domesticis, quarum incolumitatem optant, plerumque virtutem colunt, verum adversus ceteros, si adjumento esse possunt, res sibi jucundas pro honestis utiles pro justis habere solent.[26] —

18. In amicitia concilianda homines falsa saepius de officiis expletis opinione decipiuntur. — Plurimi enim homines officiis in se collatis non beneficiis apud alios collocandis amicitiam jungunt. Itaque qui gratiam ab aliis inierunt, amici sunt constantiores, ita ut gratiam debitam, ob benevolentiam largitione auctam, sibi in iis retineant, quibus beneficia dederunt. Sed qui gratiam debent, hebetiores sunt, quod non ignorant, se non gratiam referentes sed officia conservantes liberalitate uti.[27]

19. Appetitus patriae incolumitati infesti sunt. — In ista hominum consociatione, qua non patriae amore conjuncti sed sola domicilii victusque ratione sunt congregati, cives temporum inclinationes amant resque facile novant. Itaque fit, ut, siquae consilia voluptate permulceant et appetitui suaviter blandiantur, isti homines statim ad illa consilia accedant, quum praesertim discordiis sint districti.[28] — Multorum enim naturae et ingenio id convenit, quod suavissima auditu percipere volunt, posthac vero deplorant et conqueruntur, si quid eorum, quae eveniunt, rei auditae speratаeque suavitati non respondet.[29]

20. Rerum absconditarum homines studiosi sunt „et major e longinquo est reverentia.“ — Notum est homines ea admirari solere, quae maxime longinqua sunt, et quorum famam ipsi usu et cognitione probare nequeunt.[30]

Quae in priore dissertatione de hoc loco scripsi, iis rebus additis suppleo, quae ejusdem generis inter lectionem librorum Thucydidis reperta ad idem argumentum pertinent.

---

26) V. 105. 4. (Athenienses cor. Meliis rem Lacedaemoniorum exemplo confirmare student)

27) II. 40, 4. (Pericles in oratione funebri.)

28) VI. 17, 3. 4. (Alcibiades cor. Atheniensibus.)

29) VII. 14, 4. τὰς φύσεις ἐπιστάμενος ὑμῶν, βουλομένων τὰ ἥδιστα ἀκούειν κ. τ. λ. (Niciae, Atheniensium ducis, literae Athenas missae.)

30) VI. 11, 4. (idem coram Atheniensibus)

§ 2. p. 10.) Imperandi cupiditas, et auctoritate prius sibi conciliata et opibus paratis nixa, ita sibi indulget, ut persuasum habeat, non crimini esse vertendum nec invidendum ulli, si quis salutem, cujus jus se ac potestatem habere putet quamque tueri sibi conveniat, omni ex parte quaerat [31] — Potentia vero ad dominatus cupiditatem impellit. Secundum opinionem, quam mente de deo comprehendimus, illum in omnes subjectos imperium exercere putamus, homines autem secundum naturae quandam necessitatem imperare iis, quos opibus superant. Hanc legem neque condidimus neque ea constituta primi usi sumus, sed jamjam ratam accepimus eamque sequimur perpetuo valituram et posteris relinquendam. Nec ignoramus etiam ceteros, quibus eadem fuerit potentia, idem esse facturos [32] — Non penes nos est potestatem temperare certosque imperii fines ad nostrum arbitrium constituere, ut praestitutum sit, quatenus sint proferendi; sed necesse est, ubi altiore loco collocati sumus, meliori horum fortunae imminere, illos sollicitare, quia periculum impendet, ne aliorum imperio teneamur, nisi ipsi aliis imperemus [33] — Incolumitati plane infestum est immotos conquiescere atque subtiliter explorare, utrius rebus faveamus, si quid jam imperii finibus addimus; de ipso imperio potius ob hanc segnitiem periclitandum esset. Namque eos, qui excellunt, non solum, quum adoriuntur, homines propulsant, verum etiam his, ne adoriantur, ante vertunt. [34] — Jura ex fortunae aequalitate secundum humanam rationem examinantur; eo vero, quo possunt, potentiores progrediuntur, atque infirmiores concedunt [35] — Quapropter potentiores (Athenienses) a juris disceptationibus infirmiores (Melios) deflectere student suadentque, ut suae utilitatis hi potissimum rationem habeant. [36]

§ 3. p. 11.) Appetitus indomiti hominum animos aliorum poenas exsequi jubent. — Contra trepidantium adversariorum desperantiumque perturbationem atque infestissimorum hominum fortunam, quae jam inclinata se ipsam alteri tradidit, cum indignatione iraque pugnandum est; atque primum arbitrandum, juste eos facere, qui, quod ab oppugnatoribus poenas censent sibi repeten-

31) VI. 83, 2. *πᾶσι δὲ ἀνεπίφθονον τὴν προσήκουσαν σωτηρίαν ἐκπορίζεσθαι.* (Euphemus, Atheniensium legatus, in oratione coram Camarinaeis habita.)
32) V. 105, 2. *ἡγούμεθα τὸ ἀνθρώπειον, διὰ παντὸς ὑπὸ φύσεως ἀναγκαίας, οὗ ἂν κρατῇ, ἄρχειν.* (Athenienses coram Meliis.)
33) VI. 18, 3. (Alcibiades cor. Atheniensibus.)
34) VI. 18, 2. (id.)
35) V. 89. (Atheniensium legati coram Meliis.)
36) V. 98. (Melii cor. Atheniensibus.)

das esse, in adversariis impugnandis animum explent; deinde ea ipsa re adversariorum impetum ulciscendi copia nobis facta est, quae, quod vulgo dicunt, suavissima res est.[37] — Ita res nostra instituenda est, ut hostes occupemus non solum mala nobis afferentes, verum etiam consilia eorum necesse est ulciscamur, ea priusquam exsequantur, nisi quis injuriam prius ac vim pati maluerit, quia ab iis non praecaverit[38]

§ 6. p. 15.) Res praesentes hominum animos occupant ac turbant.*) — In rebus asperis homines ad superstitionem paulo propensiores sunt; nam incognita et inopinata in praesenti rerum statu majore vigent auctoritate, ut, quae dubia in vaticinatione relicta sint, ad praesentium rerum conditionem referantur. Quamvis anceps sit vatum praedictum, semper ob innatam istam naturae rationem, qua praesentia maxime homines cum sentiant amplectuntur, carmina, quorum sententiae per animos pervadunt, ad casus repentinos et calamitosos adhibent, ex iisque interpretantur; nam fabulae decantatae motu animorum et specie falsa captis cognatione arctissima cum re praesenti teneri videntur.[39] — Illo temporis puncto, quo consilia homines exsequi coeperunt, ut res ancipiti fortunae incertoque eventui tradant, praesentes jam videre difficultates et pericula imminentia sibi videntur, atque gravius his percelluntur, quam quum suffragabantur[40]

§ 7. p. 16) Magna est fortunarum dominatio in hominum animos. — Permulta in vitae humanae cursu praeter rationem et exspectationem accidunt,[41] ut, qui in suis rebus certa et explorata spe destituantur, cum multis in eosdem errores incidant [42] — Qui alio tempore fortuna deserti praeter consuetudinem boni quidquam nacti sunt, rei majoris spem sibi affulgere opinantur excelsa sperantes, quia in praesens tempus rebus prospere evenientibus praeter exspectationem felicitate utuntur.[43] — Sic prospero praesentis fortunae flatu Athenienses usi sunt, ut nihil consiliis suis posse adversari censerent, verum etiam quae accidere aeque ac quae nullo pacto fieri possent, sive magno sive infirmo uterentur apparatu, perinde se

---

37) VII. 68, 1. (Gylippus, Syracusanorum dux, cor. militibus.)
38) VI. 38, 4. (Athenagoras cor. Syracusanis)
39) II. 54, 3. *οἱ γὰρ ἄνθρωποι πρὸς ἃ ἔπασχον τὴν μνήμην ἐποιοῦντο.*
40) VI. 31, 2. (Res classis Atheniensium apparatu illustrata.)
41) *τὰ ἀνθρώπεια τοῦ βίου παράλογα.* Hujus generis *τὸ ἀστάθμητον τοῦ μέλλοντος* IV. 62, 4. *φύσις ἀναγκαία* V. 105, 2. Alia cf. § 1. 13
42) VIII. 24, 5.
43) IV. 17, 4. (Lacedaemoniorum legati coram Atheniensibus de pace componenda.)
*) (cf. VI. 103, 4. supra 14.) expositum)

conficere opinarentur [44] — Qui multis in discriminibus versati sunt, illis in animo imprimendum est, rerum eventum esse incertum et inopinatum; attamen sperandum, fortunam quondam fore prosperam, ut a nobis stet. [45]

§ 9. p. 19.) Vario modo homines imprudentiae culpam committunt. — Quibus in animorum concitatione consilia sunt calida, iis molesta est apparatus deliberatio, ac tantum abest, ut prudentiores ab inconsiderato conatu istos avertant, ut eo magis incitent. [46] — Contra quibus salus in maximum discrimen est vocata, non in semetipsos periculosi, sed omnia quibus circumfusi sunt pericula trepidante anxii animi diligentia reputantes et cogitatione comminiscentes tantum abest, ut prudentiam rebus sic examinandis declarent, ut hac putida in considerando diligentia desipientis prudentiae ipsi se convincant. [47] — Haec imprudentia uti ex timore orta est, sic in animo incredulo invalescit. — Plane scimus eos, qui vel dicunt vel renuntiant res, quae esse incredibiles videntur, non solum non persuadere, verum etiam insanos videri. [48] — Propter hanc fidem denegandi pertinaciam pericula etiam hi saepe non adfutura opinantur, ut per contemtionem ex improviso opprimantur ac fide veris rebus abrogata communem salutem negligant. [49] — Imprudentiae ignavia adhaeret et socordia.*) — Saepius homines non ultro ex iniqua conditione in bonum statum excedunt, (e servirtute in libertatem,) sed per ignaviam opperiuntur necessitatem, quae cogat, ut manifesta bona ipsis consentanea adipiscantur. [50] — Homines, postquam opes alicujus in rebus fractae sunt, quibus praestare sibi videtur, in posterum ad multo minorem de eo opinionem labuntur, quam si nunquam antea se viribus praestare putasset. Ac si praeter spem eo, quo insolentius sese efferebat, destitutus est, viribus, quibus viget, et robore decedit. [51]

§ 10. p. 22.) Appetitus effrenati invidiae inserviunt. — Homines aliis invident eorumque opes extimescunt, (potentioribus utrumque accidere solet.) Atque iidem exoptant, ut praepotentes et opulentiores paullulum detrimentum capi-

44) IV. 65, 4.
45) VII. 61, 3. (Nicias coram militibus.)
46) VI. 24, 2 (Atheniensium exemplo in expeditione sicula illustratur.)
47) IV. 10, 1. (Demosthenes, Atheniensium dux, rem coram classiariis ad Pylum oratione exponit.)
48) VI. 33. 1. (Hermocrates cor. Syracusanis.)
49) VI. 33, 3. (idem.)
50) IV. 120, 3. (Brasidas Spartanus cor. Scionaeis.)
51) VII. 66, 3. (Gylippus, Syracusanorum dux, coram militibus.)
*) (cf. VI. 18, 2. allatum 34.)

ant animumque demittere cogantur. Nam, ut modestiores fiant, cupiunt neque tamen comminuantur, sed superiores discedant ob suam ipsorum incolumitatem. At, quae cupiunt sperantque, majora sunt, quam quae hominum vires consequi possint; namque non fieri potest, ut exoptemus rem simulque cupiditatem temperemus et ita quidem, ut cupiditatis ac fortunae arbitri simus.[52] — Felicis viri fortunatique calamitatibus vulgus gaudere solet; quapropter paria paribus respondent, si quis a beatis se sperni pa tiatu[53]

Sequitur, ut in posterum de altera humanae naturae parte, quae in ratione posita est, disputemus. Humanitatis vero doctrina, in egregiis Thucydidis libris explicata, ut rei universae, partibus suis perfectae et absolutae, rationem habeamus, tertium disputationis locum desiderat, qui in ingenio moribusque gentium graecarum cernitur.

52) VI. 78, 2. (Hermocrates cor. Syracusanis) cf. IV. 64, 1. (idem cor. Siculis.)
53) VI. 16, 4. (Alcibiades cor. Atheniensibus.)



Schulnachrichten.

I. Lehrverfassung.

Ordinarien waren in I. Herr Oberlehrer Professor Fabian, in II. Herr Oberlehrer Horn, nach seinem Tode (Siehe III. A.) Herr Oberlehrer Dr. Janson, in III. Hr. Oberlehrer Dr. Brillowski, in IV. Herr Oberlehrer Weyl, in V. Herr Gymnasiallehrer Claussen, in VI. der wissenschaftliche Hülfslehrer Herr Marotsky.

1. Abgehandelte Gegenstände.

Latein. I. 8 St. Horat. od. III (mit Auswahl) bis Od. 25. Sat. I. 1. II. 2. 3. 8. 2 St. Privatlect. die im Cursus nicht gelesenen Bücher der Oden. — Tacit. annal. IV, 60 — V. de German. Cic. de off. III — V. Disputirübungen, wöchentliches Exercitium, sechswöchentl. Aufsatz. 6 St. — II. 10 St. Virg. Aen. VI. 640 — VII. Cic. Verrin. act. II l. I. und II größere Hälfte. Liv. IX. X. Zumpt's Grammatik C. 58 — 80., wöchentliches Exercitium; vierteljährige Aufsätze der 1sten Abtheil. — III. 10 St. Caes. B. Civ. I. II. Ovid Trist. 15 Elegien; Metam. (Seidels Auszug) I. II. Wiederholung der Etymologie (nach Schulz Grammatik), Syntax (Zumpt § 69 — 75. 76 — 83), wöchentliches Exercitium, 9 St.; grammatikalisch-methodische Einübung latein. Sprachproben, besonders aus Cic., 1 St. — IV. 10 St. Corn. Nep., Pausan. Cim. Lysand. Thrasyb. Iphic. Hann. Alcib. 40 Fabeln aus Phaedrus. Wiederholung der Etymologie; Rection der Casus; Uebungen im Uebersetzen aus O. Schulz Vorübungen; wöchentliches Exercitium; grammatikalisch-methodische Memorirübungen an classischen Stellen — V. 10 St Jacob's Elementarb. Seite 37 — 77; Etymologie, die einfachsten Regeln der Syntax nach O. Schulz Aufgaben; mündliche und schriftliche Uebungen; nach faßlichen syntactischen Regeln geordnete Sätze aus Classikern zu Memorirübungen, (G.-L. Claussen). Vom 19ten Juli an Jacob's Lesebuch; Wiederholung der regelmäßigen und unregelmäßigen Conjugat. Zahlwörter, Präpositionen, 2 St. theils mündliche und schriftliche theils auch häusliche

Exercitia. 3 St. (O.-L. Dr. Janson); Memorirübungen. — VI. 10 St. Formenlehre, (nach O. Schulz kl. Gramm.); regelmäßige Declination des Substantivs und Adject. regelm. Conjugat. des Activ, Passiv und Dep.; regelm. Comparation, Uebb. dazu nach Jacob's Elementarb. I. und Schulz Aufgaben. (halbjähr. Cursus). Vokabellernen nach Wiggert; häusliche schriftl. Uebb. der Declinat. und Conjugat., jedoch in möglich beschränkter Anzahl.

Griechisch. I. 6 St. Hom. Il. X. 350 — XIII, 500. Privatlectüre die im Cursus nicht gelesenen Rhapsodien. 2 St. — Herod I. cursorisch und in's Lateinische übersetzt; auserlesene Capitel der Syntax; wöchentliches Exercitium. Plat. apol. Socr. 1 — 13 (O.-L. Horn). Vom 19ten Juli an Plat. apol. Socr. 14 bis Ende, in's Lateinische übersetzt; Lehre von den Präpositionen und Negationen; Wiederhol. der Syntax vom einfachen und zusammengesetzten Satze; vierzehntägiges Exercitium. (O.-L. Janson). — II. 6 St. Hom. Il I. Herod. VIII. IX. — 39; vierzehntägiges Exercit.; Rection der Nomina und Verba (Privatlect. Odyss. von XII an.) (O.-L. Horn). Vom 19. Juli an Il., 285. und II. Herod. IX, 40 bis zum Ende des B. Wiederhol. etymologischer Theile; Lehre vom einfachen und zusammengesetzten Satze: vierzehntäg. Exerc. (O.-L. Janson). — III. 6 St. Hom. Odyss. III IV. Jacob's Lesebuch: Länder- und Völkerkunde, Briefe Xenoph. Anab. II 1 — 5. Etymologie nach Buttmann's Schulgramm. bis zur Lehre von der Wortbildung. — IV. 6 St. 1ste Abth. Jacob's Leseb. 1ster Cursus; Etymologie bis zu den Verbis in $\mu\iota$. 2te Abth. Jacobs Leseb.; Etymologie bis zum Verbum.

